

sic: ista est Glossa singularis, & unica in jure in lege penultima, Codice de Fidejussoribus, in verb. Confessus, quam ibi ad hoc notat & commendat Baldus, Angelus, & illam Glossam ad hoc dicit unicam Baldus, in leg. Quicumque, Cod. de Servis fugitivis, penult. col. num. 24. illam etiam dicit unicam idem Baldus, in leg. Eamquam, Cod. de Fideicommissis, col. 7. num. 24. illam etiam dicit unicam idem Baldus, in leg. 1. de Confessis, 8. col. num. 35. notat etiam & commendat idem Baldus in leg. 1. Cod. de Collusione detegenda, idem Baldus in cap. 1. §. Injuria, penult. column. num. 18. de Pace juramento firmanda, in usibus feudorum, idem Baldus in cap. 3. loco extra de Præsumptionibus, Angel. de Malefic. in parte, chemai adulterato, col. 17. versic. Pone quod quidam juvenis, & ibi ejus additionator, illam etiam reputat singularem Joannes de Platea in §. Item lex Julia, de Adulteriis, penult. col. in fin. Institut. de publicis judiciis, Hippolytus in Cons. 61. pen. col. num. 36. Cœpola in Cons. 56. column. 1. Limita tamen & intellige prædictam Glossam & ejus conclusionem in simplici stupro & copula carnali sine raptore: secus tamen est in raptu, quia ibi apparent signa contraria confessioni. Item etiam secus est in simplici stupro, quando apparent aliqua signa contraria prædictæ confessioni, ut quia femina inventa est plorans, vel clamans: vel fortè qualitas personarum est valde dissimilis: ita in terminis tenet & declarat Baldus & omnes Doctores in locis supra citatis.

45 Advertendum tamen est, quod superiora habent locum & procedunt in virgine, vidua, vel honesta muliere: secus tamen est in publica meretrice, quia si quis eam rapiat vel per vim carnaliter eam cognoscat, non punitur aliqua pœna: textus est singularis in jure in leg. Verum, versic. 1. ff. de Furtis, cujus verba sunt: Et ideo etiam eum qui fores meretricis effregerit libidinis causa, & fures non ab eo inducti, sed alias ingressi meretricis res egresserunt, furti non teneri; an tamen vel favia vel vi teneatur, qui suppressit scortum libidinis causa? & non puto teneri, & ita etiam ex facto cum incidisset dixi, & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Bartol. Alberic. Angel. & communiter DD. probat etiam textus in leg. Qua adulterium, vers. fin. Cod. ad legem Jul. de Adulter. ubi habetur quod accessus carnalis cum famula vili & turpi existente in aliqua caupona, non est punibilis, cujus verba sunt: Ha autem immunes à judiciaria severitate & stupri & adulterii præsentur, quas vita vilitas digna legum observatione non creditur; & ibi notat Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in leg. unica, Codic. de Raptu virginum, cum similibus, ubi ex-

pressé requiritur quod ad hoc ut raptus sit punibilis, oportet quod sit commissus in muliere, virgine vel honesta, & in expresso per jura istam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria in dict. leg. Una, Cod. de Raptu virgin. in glos. 1. & ibi Azo in Summa, Cinus, Alber. Baldus, Angelus, Salicetus, & communiter DD. præcipuè Hippolyt. col. 5. num. 19. Glossa ordinaria in §. Item lex Julia de Adulter. Institut. de public. judic. in Glossa finali, & ibi communiter Scribentes, Paulus de Grillan. in tractat. de Pœnis omnifariam coitus, quæst. 10. princip. penult. col. num. 25. Quod tamen limita & intellige nisi jam desineret meretricari & honestè vivere, secundum prædictos DD. ubi supra. Secundo limita & intellige præterquam si talis meretrix sit nupta: quia tunc accessus ejus erit punibilis: ita Baldus in dict. leg. Una, Cod. de Raptu virginum. column. final. quæst. 1. & ibi alii DD. in locis supra allegatis.

46 Duodecimò principaliter est punibilis accessus cum muliere nupta de conjugata: nam si quis habet accessum ad aliquam mulierem nuptam vel conjugatam, committit adulterium: de quo principaliter intendo tractare.

47 Pro cujus perfecta declaratione, primò quæro quæ sit pœna adulterii? & resolutivè dico quod de jure antiquo fori non reperitur pœna determinata vel statuta, nec erat imposita pœna mortis, ita probat textus expressus in leg. Qui cum Uno, §. Adulterii, ff. de Re milit. ubi dicit text. quod reus damnatus crimine adulterii non est recipiendus inter milites: ergo sequitur quod per sententiam non erat imposita pœna mortis: quia aliàs frustra quæreretur an esset recipiendus inter milites: & ad hoc notat ibi Glossa ordinaria & communiter DD. antiqui textus in leg. 2. §. 1. vers. Miles, ff. de His qui notantur infam. & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. text. in leg. Miles, §. final. ff. ad legem Juliam de Adulterii, text. in leg. Claudius, ff. de His quibus ut indigni, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. text. in leg. Si quis viduam, ff. de Quæstionibus, & ibi Bartol. Alber. Din. & communiter DD. antiqui, text. in leg. Scio, ff. de Testib. & ibi Glossa ordinaria & alii DD. de jure autem Codicis est imposita pœna mortis, tam in adultero quàm in adultera: text. est in leg. Quamvis, la 2. vers. final. Cod. ad leg. Jul. de Adulter. cujus verba sunt: Sacrilogos autem nuptiarum gladio puniri oportet, & ibi tenet Glossa ordinaria, Odofred. Cinus, Jacob. Butr. Alber. Bald. Salicetus, & communiter DD. de quo vide melius quàm alibi per Salicetum ibi, penult. col. num. 18. text. in §. Item lex Jul. de Adulteriis, Institut. de public. Judic. de jure autem authenticorum talis pœna mortis non

nōn imponitur mulieri adulteræ, sed alia mitior pœna: quia detruditur in monasterium, ut ibi perpetuò agat pœnitentiam, nisi maritus eam velit recipere infra biennium, in adultero verò pœna mortis non mutatur: text. est in Authentica, sed hodiè, Cod. ad l. Jul. de Adulter. & ibi notat & tenet Glossa ordinaria, Odofredus, Cinus, Jacobus Butric. Albericus, Baldus, Angelus, Salicetus, & communiter DD. text. in Authentica, ut nulli judicum, §. Si verò quando collat. 9. & ibi Bart. Angel. & DD. & per ista jura istam sententiam & resolutionem ponit Bartol. in leg. Si adulterium cum incestu, ff. ad leg. Jul. de Adulter. & ibi Angel. de Perus. & communiter DD. Faber. Angel. & Platea, in §. Item lex Julia de adulteriis, Institut. de public. judic. Innocent. & communiter Canonista in cap. Tua, de procurator, Hostiensis in Summa, extra de adulteriis, 4. column. vers. Qua pœna sit imponenda, communiter etiam Canonista in cap. Gaudeamus, de conver. conjugat. Angel. de Maleficiis, & ejus Additionator in part. chemai adulterato, column. 12. versic. Quæro quæ sit pœna adulterii: ubi dicit hanc esse communem opinionem, pro qua sententia & conclusione est lex notab. part. l. 25. tit. 17. part. 7.

Hodiè tamen de jure nostro regio alia pœna imponitur, quia uterque tam adulter quàm adultera per sententiam judicis ponitur in potestatem mariti, ut de eis & de eorum bonis faciat quidquid veller: unde poterit eos occidere vel aliam quamlibet offensam vel injuriam inferre: textus est in leg. 1. tit. 7. lib. 4. foro legum, text. in l. 2. tit. 15. lib. 8. Ordin. & ita quotidie in isto regno practicatur. Nec mirum quod talis pœna imponatur, cum de jure divini pœna mortis & lapidationis pro adulterio erat statuta: ut in cap. Hac imago, & in cap. Satis 33. quæst. 5. ex quo inferitur, quod cum maritus possit eos interficere, quod poterit eis quamlibet aliam offensam vel injuriam inferre: & sic poterit manus vel pedes, vel quodlibet aliud membrum abscindere: text. est notabilis in leg. Nec in ea, ff. ad leg. Jul. de Adulter. cujus verba sunt: Sed qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit eum jure afficere, & ibi ad hoc notat & commendat Bartol. Albericus, Angel. & communiter DD. & illum text. ad hoc notat & commendat Angel. Imol. & communiter moderni in leg. In suis, ff. de Liberis & posthum. & ita probat expressè prædicta lex ordinamenti, in quantum dicit, faga del y de sus bienes lo que quisiere.

Dubium tamen est an ista pœna habeat locum in sponsa? videtur dicendum, quod sic: & in terminis ita probat text. in leg. Si uxor, §. Divus, ff. ad leg. Juliam, de Adulter. cujus verba sunt: Ant. Gom. ad Leg. Taur.

Divus Severus & Ant. rescripserunt, etiam in sponsam hoc idem vindicandum: quia nec matrimonium quaecumque nec spem matrimonii violare permittitur, & ibi notat Glossa Bartol. Alberic. Angelus & communiter DD. text. in §. Si minor, ejusdem legis: text. in leg. Miles, §. Quarebatur, eod. tit. text. in leg. Propter, Cod. eod. tit. text. in leg. 1. tit. 17. part. 7. Sed in hoc articulo, ista est vera resolutio, quod in sponsa de presenti habeat locum pœna adulterii: in sponsa verò de futuro, non, & in terminis ita tenet Bald. in dict. leg. Propter, & est de mente Bartol. & DD. in dict. §. Divus, & in expresso ita disponit hodiè prædict. lex 2. tit. 15. libr. 8. Ordin. & tenet etiam Glossa ordinaria in cap. Si verò, el 1. de Sent. excomm. in verb. Cum uxore, & ibi communiter DD. Unum tamen est, quod hodiè in nostro regno non potest maritus accusare unum sine alio, sed aut utrumque debet accusare, aut utrumque dimittere, ita disponit nostra lex 80. in leg. Tauri: facit etiam text. notabilis in leg. Cui pacto, ff. de Servis expor. ubi habetur quod ille qui pacto vel aliàs non potest intrare suburbia civitatis, non poterit etiam intrare ipsam civitatem: & ad hoc notat ibi Glos. Bartol. & communiter DD. text. in leg. In actionibus, vers. 1. ff. de in litem jur. ibi, licuit enim ei, &c. text. in regula, non debet, ff. de Regul. jur. text. in regula, cui licet, de regul. jur. lib. 6. tradit Bald. in leg. Si quis, non dicam rapere, 1. column. Cod. de Episcop. & Cleric. & ibi DD. idem Bald. in leg. fin. Cod. de Exhib. reis, idem Bald. in leg. 1. Cod. de Precar. latè moderni in dict. leg. In suis, Palac. Rubeus in sua repet. fol. 57. col. 1. §. 87. Ex quo datur declaratio ad legem 76. his legibus Tauri, qua cavetur quod virtute sententiæ & licentiæ judicis, possit inimicus propria autoritate interficere inimicum, ut possit etiam eum offendere, vel quamlibet injuriam inferre, & in expresso ita tenet Bartol. in dicta leg. Nec in ea, & prædicti DD. ubi supra. Nec obstat si dicatur quod in pœnalibus, & exorbitantibus non est licita extensio ex paritate vel majoritate rationis, quia isto casu propriè non sit extensio, sed virtualiter ex vi cujusdam necessariæ comprehensionis, illud quod est minus continetur in majori, secundum Ang. Imol. & DD. in dict. leg. In suis, ff. de Liberis & posthumis.

Item etiam imponitur pœna amissionis bonorum in quo articulo resolutivè dico, quod de jure communi si agebatur civiliter ad thori separationem, mulier adultera perdebat dotem, & omnia alia bona sua, & applicabantur marito: & ita probat text. notabilis in leg. Consensu, §. Virum, Codic. de Repud. & ita tenet Glossa ordinaria, Petrus Cinus, Angel. de Perus. & communiter DD. Glos.

ordinaria, Cinus, Alberic. Bald. & communiter DD. in *Authent. sed hodie, Cod. de Adulter.* Paul. de Castr. ubi notabiliter loquitur in *leg. Rei iudicata, §. i. col. 2. num. 2. ff. soluto matrim.*

Unum tamen est, quod iudex secularis non potest ad hoc cognoscere, sed iudex tantum Ecclesiasticus: quia de matrimonio contrahendo vel dissolvendo non potest iudex secularis cognoscere principaliter nec incidenter: text. est in *cap. Plerumque, de donat. inter virum & uxorem, & ibi tenent communiter DD. text. in cap. Lator, qui filii sint legitimi, cum simil.* si vero agebatur criminaliter ad penam, non perdebat dotem, sed praedicta mulier adultera detrudebatur in monasterium: & si maritus intra biennium eam non recipiebat, vel mortuus sit, tunc perpetuo debebat ibi remanere: & bona sua dividantur isto modo, quod liberis extantibus duae partes applicantur eis, & tertia monasterio: liberis vero non extantibus, sed parentibus tertia pars eis applicatur, & duae monasterio: liberis vero nec parentibus extantibus, omnia bona applicantur monasterio: ita disponit text. in *dict. Authent. sed hodie, Cod. de Adulter. & in l. 25. tit. 17. part. 7.* Hodie tamen in nostro regno si agatur civiliter nihil est immutatum, sed idem servatur quod disponebatur de iure communi: si vero agatur criminaliter, ius commune est immutatum quia tam adulter quam adultera debent poni in potestate mariti, ut de eis & eorum bonis faciat quidquid velit, modo habeant liberos, modo non: ita expressè disponit *praedict. lex Ordinam. 2. tit. 15. lib. 8. Ordinam. licet per l. 1. tit. 7. lib. 4. for. II.* erat dispositum quod extantibus liberis bona non applicentur marito. Sed attende quod hodie per legem 82. in legibus Tauri confirmatur praedicta lex fori: & aliud non potest dici nec teneri in iudicando & consulendo. Quid autem si maritus propria auctoritate occidat uxorem & adulterum in flagranti delicto, an lucretur dotem: vide infra in propria quaestione.

48 Secundo principaliter quaero, si matrimonium non valeat nec teneat inter maritum & uxorem, ex aliqua causa puta consanguinitatis, vel alia: & uxor commisit adulterium, an isto casu puniantur poena adulterii, tam ipsa quam adulter, ac si matrimonium valeret: Et breviter dicendum est quod de iure communi bene tenebantur poena adulterii: quia etiam matrimonium putativum non licet violare, & maritus poterit eos accusare, non iure mariti, sed tamquam extraneus: & similiter poterit eos accusare quilibet de populo; cum sit delictum publicum: text. est notabilis in *leg. Si uxor, §. Divus, vers. Sed si ea, ff. ad leg. Jul. de Adulter.* cuius verba sunt:

*Sed si ea sit mulier cum qua incestum commissum est, vel ea quae quamvis uxor omnino haberetur, uxor tamen esse non potest: dicendum est iure mariti accusare eam non posse, iure extranei posse; & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. Ex quo deducitur & inferitur quod non poterit maritus propria auctoritate eos occidere, etiam repertos in flagranti crimine: text. est in *leg. Mariti, §. fin. eod. tit. ibi: & rectius dicitur eos ius occidendi habere qui iure patris, maritum accusare possunt, & ibi tenet Bart. & communiter DD. facit etiam text. in *Authent. de Nupt. §. Si vero ab initio, collat. 4. & ibi notant communiter DD. tenet etiam Bartol. & alii DD. in *leg. penult. §. fin. ff. ad Municipalem, contra Glos. ibi.****

Secundo inferitur quod non lucrabitur maritus dotem propter adulterium uxoris, ita tenet Glos. ordinaria in *leg. Consensu, §. Vir quoque, Cod. de Repud. in verb. Sibi habere, vers. Item quid dices, quam ibi sequitur & approbat Salicet, & communiter alii DD. Paulus de Castro, Alexand. & ceteri Scribentes in *leg. Si cum dotem, §. fin. vol. 2. ff. soluto matrimonio.* Contrarium tamen tenet expressè Glos. ordinaria in *cap. Plerumque, de Donat. inter vir. & uxor. in glossa magna, in fine, ubi dicit quod isto casu maritus lucretur dotem: quam ibi sequitur & commendat Innoc. Hostiens. Joann. Andreas, Anton. de Butr. Cardin. Anchar. Abb. & communiter DD. Sed concordari possunt isto modo, quod Glos. & communis opinio in *dict. cap. Plerumque, loquitur quando maritus egit contra uxorem ad separationem thori, & dotem lucranda propter adulterium, & lata sit sententia in favorem mariti, unde, licet postea vult uxor dotem repetere, ex eo quod dicat matrimonium fuisse nullum propter aliquod impedimentum, non sibi proderit propter auctoritatem rei iudicatae, & propter alias rationes, de quibus per DD. ibi Glossa vero in *dict. leg. Consensu, §. Vir quoque, loquitur & procedit quando uxor principaliter egit ad separationem matrimonii propter affinitatem vel consanguinitatem, & fertur sententia in qua declaratur matrimonium esse nullum, & maritus vult retinere dotem propter adulterium, quia non poterit: quia verè non fuit inter eos matrimonium, nec ex eo aliquod commodum vel privilegium tamquam maritus consequi debet: & in specie ita dicit & concordat Joann. Andreas, Anton. Anchar. Cardin. & alii DD. in *dict. cap. Plerumque de donat. inter virum & uxor.* Ex quibus patet quod aperte deceptus est Doctor Palac. Rubens in isto passu in *rubr. de Donat. inter vir. & uxor. fol. 19. col. 1. num. 3. fol. 35.* ubi praedicta Glos. allegat pro concordantibus, cum in veritate sint invicem con-****

contrariae. Hodie tamen in nostro regno contrarium decisum est, imò quod licet matrimonium ex aliqua causa non valeat, maritus possit accusare uxorem & adulterum: & sic ambo mittentur in potestatem ejus, ut possit de eis & bonis eorum facere quicquid vellet, ac si matrimonium valeret: & per consequens poterit eos propria auctoritate occidere, si reperiat eos in flagranti adulterio; tandem omnis illa poena quae habet locum contra adulteros, quando matrimonium valet, & tenet habet etiam locum quando matrimonium propter aliquam causam de iure non valeret: ita expressè disponit hodie *lex 81. infra his legibus Tauri, & ista est ejus vera & propria dispositio.* Quam tamen legem intellige, quando matrimonium non valet propter aliquod legitimum impedimentum consanguinitatis vel affinitatis; secus vero si propter defectum consensus: ita probat ista lex, & probat text. in *cap. ad dissolvend. de Spons. impub. & ibi notat Abb. & communiter DD. & tenet Cifuentes hic & Doct. Castillo: ex quo inferitur quod si per vim contraxit, non potest accusari de adulterio. Item infero quod si contraxit in minore aetate, & postea commisit adulterium antequam confirmaretur matrimonium, non potest postea accusari. Confirmatur etiam, quia fortius est matrimonium contractum inter prohibitas personas, quam ex defectu consensus: quia primo casu non fit separatio absque iudicio Ecclesiae, & oritur publicae honestatis iustitia: textus est singularis & unicus in *cap. Porro de divort. secundum Abb. & alios DD. ibi: Secundo vero casu non, quando matrimonium est nullum ex defectu consensus: textus est in *cap. accessit. de Sponsalib. impub. text. in cap. Uno, eodem tit. lib. 6. & facit text. in cap. Cum locum de Spons. textus in cap. Venient, et 2. eodem tit. textus notabilis in cap. Significavit, de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.***

49 Tertio principaliter quaero, quis possit accusare de adulterio? Et breviter, & resolutivè dico quod maritus poterit accusare iure mariti, hoc est, cum privilegio & qualitate mariti, ut infra sexaginta dies post commissum delictum praefertur omnibus aliis accusatoribus. Item ut possit accusare sine metu calumniae. Item ut non teneatur se inscribere ad poenam talionis: postea autem poterit accusare maritus non iure mariti, sed tamquam extraneus, cum sit delictum publicum: imò tunc inter extraneos praefertur maritus: quia propensione, iure, & dolore venit ad accusandum: textus est in *leg. i. §. Marito, ff. ad legem Juliam, de Adulter. text. in leg. 2. §. fin. eodem tit. text. in leg. Si maritus, la 1. §. 1. & finali, eodem tit. text. in leg. Is cuius,*

*§. ex Senatusconsulto, eodem tit. text. in leg. Miles, §. 60. text. melior & expressior ceteris in lege Iure mariti, Cod. ad leg. Juliam de Adulter. cuius verba sunt: Iure mariti adulterii accusare volenti sexaginta dies utiles computantur, quibus in publico ejus facultas fuerit, apud quem reus vel rea postulari potest: & cum praeterierint dies ipsi utiles, maritus quoque iure extranei agere potest, & ibi Glossa ordinaria, Odofred. Petrus, Cin. Jacob. Butric. Bartol. Alberic. Baldus, Angel. Salicet. & communiter DD. Azor. in Summ. illius tit. col. 1. num. 5. Hodie tamen de iure novo Codicis, hoc immutatum est, quia quilibet de populo non potest accusare, sed tantum maritus, pater, frater, patruus, & abunculus ipsius mariti, vel ipsius adulterae: cuius ratio est hec cuilibet liceat temerè foedare matrimonia: textus est Imperatoris Constantini, in *leg. Quamvis la 2. ad leg. Jul. de Adulter. & ibi notat Jacob. Butric. Cinus, Bartol. Angel. Salicet. & communiter DD. licet Glossa & alii qui DD. ibi vellent quod imò post istos conjunctos quilibet extraneus possit accusare: & pro illo text. & communi opinione est hodie *lex 2. tit. 17. part. 7.* Hodie autem de iure nostro regio nullus potest accusare, modo sit extraneus modo conjunctus, sed solus maritus: ita disponit textus in *leg. 3. tit. 7. lib. 4. for. legum, quae in hoc communiter praefertur. Advertendum tamen est quod praedicta lex fori dicit, quod nullus admittitur ad accusandum, quando ipse maritus non vult accusare, nec vult quod alius accuset: ergo eo casu quo non constat de ejus contradictione, puta, quia sit absens, vel furiosus, bene posset alius accusare, saltem conjuncta persona, de quibus supra diximus; & hoc casu non sit correcta dispositio text. in *dicta leg. Quamvis* pro qua sententia & conclus. bene facit text. notab. in *leg. Sed & si unius, §. Ait praetor, cum §. sequenti, ff. de Injur. ubi habetur quod si filiofamiliae sit facta injuria, quaeritur patri, & filius non potest agere si pater remittat; sed si sit absens, potest filius agere: quia praesumitur quod si esset praesens, ageret & accusaret; sed hoc non obstante ego teneo contrarium, imò quod indistinctè hodie nullus possit accusare adulteros, nisi solus maritus, modo maritus taceat, modo contradicat, modo sit absens, modo praesens per rationem praed. legis fori, & praed. leg. Quamvis, & ita communiter praefertur. Unum tamen est quod licet alia delicta publica non praescribuntur minori spatio 20. annorum, ut in *leg. Quarela, Cod. de Fals. tamen istud, crimen praescribitur per quinque annos, & ulterius non potest fieri accusatio: textus est in *leg. Mariti, §. Praeterea, & §. Hoc quinquennium, ff. ad leg. Jul.******

Jul. de Adult. text. in leg. Quinquennium, eod. tit. text. in leg. Adult. Cod. eod. tit. & idem disponit, lex 4. tit. 17. part. 7. unde videtur dicendum, quod hodie poterit accusare infra quinque annos jure mariti, cum nullus extraneus admitatur.

50 Quarto principaliter quæro qualiter probetur adulterium? in quo articulo breviter & resolutivè dico, quod si testes fidedigni deponant se vidisse eodem loco & tempore adulteros commiscentes & adulterantes, tunc verè probatur delictum. Idem tenet Rolandus, *Consil. 50. n. 2. lib. 1. Alexatid. Consil. 189. num. 10. lib. 6. Julius Clar. in Pract. §. Adulterium.* Item etiam probatur per vehementem conjecturam, & præsumptionem, puta si testes deponant se vidisse eos nudos & solos in eodem lecto jacentes, licet non commiscentes: textus est capitalis & expressus in *cap. ex litteris extra de Prasumpt. & licet ille textus loquatur eo casu quo agitur de adulterio civiliter, quo ad separationem thori, tamen idem est si agitur criminaliter ad pœnam, ita tenet ibi Abbas in *fin. Felin. col. 1. & est de mente omnium: tenet etiam Bartol. Angel. & communiter DD. in leg. 2. §. fin. ff. ad leg. Jul. de Adult. Odofred. Petr. Cinus Jacob. Butr. & communiter DD. in Authent. Item si quis ei in fin. Cod. ad leg. Jul. de Adult. Angel. de Malefic. in part. chemai, col. 11. vers. Visis capitalis, &c. & ibi ejus additionator. Prædicta tamen procedunt & sunt vera quando adulter cognoscitur à testibus: quid tamen si non esset notus eis, & deponerent hominem esse supra feminam, quem non cognoverunt, an nihilominus probetur adulterium: & videtur quod non: quia fortè erat maritus, qui odio & inimicitia eam accusat. Item quia fortè minor non potens ad copulam. Item quia dato nomine fortè mulier potest se excusare per absentiam vel aliam causam: sed certè crederem probari adulterium cum necessaria sint probata, nec aliæ excusationes dictæ præsumuntur, & jam istum casum habui de facto.**

51 Quinto principaliter quæro, an maritus possit propria autoritate interficere uxorem repertam in adulterio: in quo articulo resolutivè dico quod de jure communi maritus poterat occidere adulterum repertum in flagranti delicto, si erat vilis persona, & repertus erat in domo ipsius mariti & non in alia: text. est in *leg. Marito, ff. ad leg. Jul. de Adult. cujus verba sunt: Marito quoque adulterum uxoris sua occidere permittitur, sed non quemlibet ut patri, nam hac lege cavetur, ut liceat viro deprehensum domi sua non etiam socii in adulterio uxoris sua occidere eum: text. in leg. Gracchus, Cod. eod. tit. textus in leg. Qui occidit, ff. ad leg. Aquil. uxorem tamen adulteram interficere*

non poterat: textus est in *leg. Nec in ea, vers. idèd autem, ff. ad leg. Jul. de Adult. & idem expressè disponebat lex 13. tit. 17. part. 7. pater verò ipsius uxoris licitè poterat interficere adulterum cujuscumque conditionis esset, & etiam filiam adulteram, dum tamen eos simul interficiat, & non unum sine alio: textus est in *leg. Patri, ff. ad leg. Jul. de Adult. cujus verba sunt: Patri datur jus occidendi adulterum simul cum filia quam in potestate habet, textus in leg. Quod ait lex eod. tit. text. in leg. Nihil eod. tituli & idem disponebat lex 14. tit. 17. part. 7. Unum tamen est quod si maritus excessit modum in hoc, quia occidit uxorem adulteram vel adulterum in dignitate constitutum, non tenebatur pœna mortis, & sic pœna ordinaria delicti, sed alia mitiori: quia difficillimum est justum dolorem temperare: & idem est si pater occiderit unum sine alio, vel aliter quàm debuerit: textus est valdè notabilis in *leg. Si adulterium cum incestu, §. Imperatores, ff. ad leg. Jul. de Adult. text. in leg. Nihil, versic. Sed div. Marcus, eod. tituli. text. in leg. Gracchus, Cod. eod. tit. text. in leg. Si quis in gravi, §. Si maritus, ff. ad Silla. text. in leg. 1. §. fin. ff. ad leg. Corn. de Siccar. text. notab. in *dist. lex 14. tit. 17. part. 7. Hodie tamen de jure nostro regio licitè & indistinctè potest maritus interficere uxorem vel sponsam de præsentì, & adulterum repertum in flagranti delicto: modò adulter sit vilis persona modo non, dum tamen non occidat unum sine alio: ita expressè disponit lex 2. tit. 15. lib. 8. Ordin. & ita practicatur in isto regno. Verum tamen est quod si casu vel ex aliquo impedimento vel defensione non potuisset maritus ambos interficere, sed unum tantum, excusaretur, argumento textus in *leg. Quod ait lex, §. fin. ff. ad leg. Jul. de Adult. textus in leg. Nihil, vers. 1. eod. tituli. inò quod magis est, si sponte & ex proposito maritus unum tantum ex eis interfecit sine alio, non teneretur pœna mortis nec ordinaria, sed alia mitiori pœna: argumento textus in *dicta leg. Si adulterium cum incestu, §. Imperatores, ff. ad legem Jul. de Adult. & in leg. Gracchus, eod. tit. cum simil. supra allegatis, & in terminis ita probat text. in leg. 14. tituli. 17. part. 7. licet in contrarium videtur textus notabilis & expressus in *leg. Nihil ibi, nam si alterum occidit lege Cornelia reus erit: quia licet teneatur lege Cornelia, non tamen debet puniri eadem pœna, sed mitiori, argumento textus in leg. 1. §. Divus Adrianus, ff. ad legem Corneliam de siccar. & in §. fin. ejusdem legis.*******

Advertendum tamen quod videtur quod nostra lex Regia & prædicta jura quæ permittunt maritum posse occidere uxorem & adulterum in flagranti delicto, non procedant nec debeant servari tam-

tamquam iniqua, quia præsuppono quod omnis lex nutritiva peccati est nulla & non servanda, ut in *cap. fin. de Præscript. & in cap. erit autem lex 4. dist. & cap. penult. & fin. de Consuetud. & utrobique communiter DD. adeò quod idem est si esset nutritiva peccati venialis, secundum eosdem: sed maritus qui occidit uxorem propria autoritate peccat mortaliter, ut in præcepto divino: *Non occides*, & dicit Glossa singularis in *cap. Inter hæc 33. quæst. 2. quam sequuntur ibi DD. & reputat singularem Abbas in cap. 2. de Homicidio, col. 1. num. 2. idem Abbas in cap. Veniens, el 2. de Sponsal. idem Abbas in cap. Si verò, el 1. de Sentent. excomm. col. 3. num. 10. An. in cap. Interfecisti, de Homicid. Felin. in cap. Qua in Ecclesiarum, de Constitut. col. 4. quia ad hoc notabiliter respondeo ut dixi in *leg. 76. supra his legibus Tauri.***

53 Et in tantum est verum quod maritus potest occidere uxorem adulteram repertam in adulterio, ut procedat etiam si sit prægnans, & ipse hoc benè sciret, quia impetus & dolor acerrimus eum excusat. Item etiam quia quodammodo provocatus videtur facere ad suam defensionem: ita tenet expressè Guillelm. de Cum. in *leg. Imperator, la 2. ff. de Statu hominum*, & ibi Bartolus, num. 2. Alber. col. 2. pen. quæst. Bald. *lectura 3. in fin. Ang. pen. quæst. num. 4.*

54 Nec obstat textus in *leg. Prægnantis, ff. de Pœnis, text. in leg. Imperator, la 2. ff. de Statu hominum, cum simil. ubi habetur quod licet mulier prægnans possit condemnari ad mortem vel ad aliam pœnam corporalem, tamen ejus executio suspenditur, donec pariat: quia illa jura procedunt in sententia & executione judicis, quæ debet fieri cum temperamento & juris ordine, sed in nostro casu loquimur in executione facti & hominis in quo aliquis ordo juris non attenditur, argumento text. in *leg. Quid ergo, §. Cum autem factum, ff. de His qui notant. infam. & ita respondent prædicti DD. ubi supra.**

55 Item etiam in tantum est verum quod potest occidere adulterum repertum in flagranti delicto, ut procedat & habeat locum, etiam si sit Clericus constitutus in sacris: & per hoc talis maritus non incurrit sententiam excommunicationis, ex dispositione text. in *cap. Si quis suadente 17. q. 4. per rationem superiorem: quia justus dolor eum excusat: Item etiam quia provocatus videtur facere ad suam defensionem. Item etiam, quia nulla injuria videtur fieri Ecclesiæ, quæ præterdit se injuriatam ratione Ordinis clericalis: quia illud quod licitum est respectu principalis offensi, debet esse licitum respectu alterius tertii, qui dicitur offensus in quandam consequentiam, argumento text. in *leg. Non solum, §. Quamquam,**

*ff. de Injur. text. est notabilis & expressus in cap. Si vero, el 1. vers. Nec ille extra, de sent. excomm. cujus verba sunt: Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas, & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. & istam sententiam, & conclusionem tenet Bald. Angel. Joan. de Imola & communiter Moderni in *leg. Quid ergo, §. Si hæres, ff. de Legat. Angel. de Malefic. in part. chemai adult. col. 19. vers. Quid si pater, vel maritus: & ibi ejus Additionator: idem Angel. in §. 1. instr. de His qui sunt sui vel alieni jur. col. 2. num. 5. pro qua sententia & conclusione est hodie notab. lex partit. in *leg. 3. in medio, tituli. 9. part. 1.***

56 Circa prædicta tamen utiliter & necessariò quæro, si maritus occidit uxorem & adulterum repertos in flagranti crimine, sed non potest probare qualiter eos invenit adulterando: vel reperit solos nudum cum nuda, an puniatur maritus, vel qualiter excusetur? iste est notabilis & quotidianus articulus: in quo breviter & resolutivè dico, quod si tales adulteri reperiantur occisi in lecto, vel alia parte, & loco secreto & occulto, nudus cum nuda, taliter quod si ibi vivi reperirentur probaretur contra eos adulterium: quod istomet casu si sibi reperiantur mortui & occisi, satis ex hoc constat & probatur eos esse repertos in flagranti adulterio, argumento textus in *cap. litt. extra de Prasumptionib. cum materia.* Secundò pro hac sententia & conclusione facit, quia quando quis reperitur mortuus in aliquo loco, semper præsumitur quod ibi fuit occisus, & non alibi: deinde est quod si reperitur occisus juxta domum alicujus, est præsumptio contra dominum & habitatorem illius domus: ita probat textus notabilis in *leg. Ediles, ff. de Via publica, & ibi notat Bartol. 4. notabilis: tenet etiam & commendat Rom. in leg. 1. §. Si quis in villa, col. 1. num. 4. ff. ad Syllan. Felin. in *cap. fin. in fine, extra de Homicid. Aug. de Malef. in part. fama publ. præd. col. 17. vers. Quid autem si reperiat, tenet etiam & reputat singulare Jason in *leg. Si quando, Cod. Unde vi, column. 8. facit etiam doctrina Angel. in *leg. Si cum exceptione, §. In hac propè fin. ff. Quod merus causa, ubi dicit quod repertus in aliquo loco in dubio præsumitur esse civis illius loci: tenet etiam Bald. in *leg. finali, Cod. Si non com. jud. col. fin. pen. quæst. August. de Arit. in Addit. Angel. de Malefic. in part. che, est quadam inquisitio, suis addit. idem August. in Addit. Ang. in part. de Bononia, 2. addition. Felin. in *cap. Quoniam, de offi. ord. col. 1. num. 3. pro quibus facit, leg. 1. ff. ad Munic. & ibi Bartol. & DD.******